QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. DECEMBRIS,

M. NICOLAO PIETRE Doctore Medico Moderatore.

An ad extrahendum calculum dissecanda ad pubem vesica?



ALCVLVS, qui vesicam diris diuexat cruciatibus, eâ dissectâ quàmprimùm eximendus est, omni ætate, quâuis anni tempestate, posthabitâ etiam cæli ratione. Optandum, vt atteri & comminui ille posset, atque vrinæ effluentis impetu excerneretur: at cùm nihil exstet, quod id præstare valeat, vna vesicæ sectio calculo laboranti opitulari & subuenire potest: propterea Dei, hominum salutis studiosissimi, singulari consilio, vni omnium animantium homini ex alui sinu exstat vesica, & cùm superiore, tum inferiore sui parte, quasi foras prodit, vt ita exposita facilè dissecari posset in hominis solatium.

OMINI duntaxat appensa vesica est peritonæo, eóque duplicato quasi sacculo concluditur, vnde cæteris visceribus illæsis, abdominis etiam cauo integro & intacto, cædi tutò in pube potest: mediâ sui parte demissa subter pubis ossa, ceruice suâ perinæum attingit: fundo verò ad pubem, imam ventris partem, elata, ea ipsa pubis ossa superat, digitos ferè tres; vt cathetere, paululùm incuruo, attolli possit in pube ad sectionem, æquè commodè ac in perinæo: venis ab hypogastricâ prodeuntibus perfusa est plurimis, vt licet substantiâ omnino membranosâ sit, cæsa tamen coëat & sanescat facilè, non ceruice potius, quàm aliâ quâuis sui parte: nimirùm sanguine ad quasque diuisas illius partes peræquè appellente, easque glutini instar connectente: præter adipem plurimum, qui priuatâ & suâ consistentiâ, non partis cuiusuis frigore, concrescit, obtenduntur vesicæ, cùm tendines membranosi musculorum abdominis, tùm pyramidales musculi, qui ad eius fundum coëunt, at imâ sui parte discreti, quasi designant & notant sectionis locum, si fortè dissecanda in pube sit vesica.



ISSECANDÆ ad pubem vesicæ, & ex eâ calculi eximendi, ratio perfacilis est, minimúmque operosa: Chirurgi manus in id erudita, suis pollens viribus, hoc opus omne administrat, & peragit: ecce, ægro supino iacente, diductis cruribus iisque vinculo deuinctis, cathetere leuiter ab imo inflexo, & auersa sui parte, eáque incuruâ, resciffo, attollitur vesica, & cultello, exactâ acie, dissecatur ad fundum vsque, amplo & patente vulnere: tùm amouetur catheter, & Chirurgi manus altervtrius digitis, quasi oculatis, in vulnus inditis, lustrantur vesicæ regiones omnes, & deprehensus calculus, nullo negotio, properè & celeriter extrahitur: si vesicæ ille adhæreat, eliso digitis glutine, nulla vi auellitur: quin si enata membrana sinum vesicæ faciat geminum & calculum contineat, is, tenui forcipis ictu, discisâ membranâ, digitis etiam educitur: atque hac arte nec diuelletur discerpeturue vesica, nec omnino aut minimùm contundetur; quod in vulneribus vesicæ potissimum est.



ISCISSA tantùm vesicâ, leuioris momenti vulnus habetur & est: in vrinæ angustiis, quotusquisque dissectus fuit nullo vitæ discrimine? at vnà cum vulnere, si collisa fuerit, deterius iam vulnus est, & sæpius lethale: vt vesicisecæ chirurgi calculi extractionem molientis præcipua laus sit, non solùm curare, vt expedita sit sectio, & dolore minimo peragatur; sed imprimis studere, vt nullo periculo, nullo vesicæ damno, calculus educatur: geminum illud est, alterum dilaceratio, alterum contusio: alterutrum vel vtrumque si affuerit, consequetur inflammatio, breui extinctura tenuem vesicæ calorem.



ESICA ad pubem incisâ, si plures subsint calculi, omnes extrahentur, nec vllus superesse poterit: sanguinis grumi, qui dùm morantur, grauissimos inuehunt affectus, vnà cum vrinâ per ductum vrinarium facilè elabentur; vulnus vrinâ non proluetur, quod ad vesicæ discissæ vnionem accelerandam facit plurimùm: ita verò subiectum oculis vulnus est, vt & illius, & vesicæ vulneratæ, chirurgo omnis explorata futura sit ratio: liberabitur æger tubulo illo, qui in vulnus quàm primùm immitti solet, turundâ etiam omni prælongâ, quæ duo cùm adhibentur, dolorem mouent non leuem, diathesim inflammatoriam fouent, quietem ferè omnem adimunt; nec sordebit ille immundâ illuuie, namque & alui onus pelui, & vrina matulâ commodè excipietur; licebit & mutare situm, modóque in dextrum, modò in sinistrum latus, gratâ vice decumbere: vno verbo, curatio longè facilior, & certior multò sanationis spes erit.

Ergo ad extrahendum calculum dissecanda ad pubem vesica.

Proponebat Lutetiæ PETRVS LE MERCIER Castrotheodoric. A.R.S.H.M.DC.XXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Yuelin.	*M. Franciscus le Vignon.*	*M. Claudius Geruais.*
M. Petrus Richer.	*M. Ioannes du Cledat.*	*M. Franciscus Guenaut.*
M. Mathurinus Denyau.	*M. Claudius Quiquebeuf.*	*M. Ioannes Merlet.*

